

1998-01-02 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Ab Antiquis’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

AB ANTIQUIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS «REGINAE FAMILIARUM» IMAGO,
QUAE PAROECIALI IN TEMPLO OPPIDI «KOŚCIERZYNA» ASSERVATUR,
NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS CORONATUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Ab antiquis iam temporibus omnium ordinum fideles ad Virginem Mariam fidenti animo decurrerunt, pro comperto habentes superna se beneficia indulgenter accepturos ac certa auxilia adepturos. Nos vero hanc pietatem cupimus quam latissime augeri et proferri, ideoque occurrentum censuimus postulatis Venerabilis Fratris Ioannis Szлага, Episcopi Pelplinensis, qui poposcit, ut insignis imago Beatae Mariae Virginis «Reginae Familiarum», in paroeciali templo oppidi *Kościerzyna* servata, nomine auctoritateque Nostra pretioso diademeate coronaretur. Itaque, probatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, potestatis Nostrae usi plenitudine, concedimus ut Beatae Mariae Virginis imago, quam supra memoravimus, pretioso diademeate nomine Nostraque auctoritate redimiri possit, ob oculos videlicet sacrae liturgiae habitis praescriptis.

Ceterum omnes neverunt inter Polonas gentes flagranti sane animo coli Virginem Mariam. Ipsa enim per saeculorum decursum veluti propugnaculum habita est ad fidem integre servandam ac proprium cultum et humanitatem tuendam. Exemplo quoque sanctorum inflammati exoptamus ut inibi fideles, Virginis imagine eximiis honoribus elata, ad maiorem in caelestem Matrem pietatem concitentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Ianuarii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status